



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

IV. De commendatione Iuliani episcopi, vel eorum clericorum, qui Flauiano episcopo fide adhaeserunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

1. quæst. 1.
In ecclesia
Dei quæ
corpus.

Rom. 8.

fatisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quam tueri, pacis & communionis nostræ unitate latentur: ita vt digno prius anathemate, quæ contra fidem catholicam sunt recepta, damnentur. Ali- ter enim in ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec ra- ta sunt sacerdotia, nec vera sacrificia: nisi in nostræ pro- prietate naturæ verus nos pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sum- psit ex virgine, sacramentum propitiationis exequitur, dicente Apostolo: *Christus Iesus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro no- bis.* Neque enim potest in aliquo benignitas nostra re- prehendi, cum satisfacientes recipimus, quos dolui- mus esse deceptos. Nec aspere igitur communionis no- stræ gratia deneganda est, nec temere largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressis caritatem dominicam redhiberi, ita iustum est, omnia perturbationis auctori- bus imputari.

III.

De nominibus autem Dioscori, Iuuenalis, & Eusta- thii ad sacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti fa- ciendum esse dixerint, quodque honorandæ sancti Fla- uiani memoriæ non repugnet, & a gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum, eos qui innocentes & catholicos sua perse- cutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri, cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua prauitate condemnent, quos conuenit, aut percel- li pro perfidia, aut laborare pro venia.

IV.

Fratrem vero & coepiscopum nostrum Iulianum, & clericos, qui sanctæ memoriæ Flauiano fidelibus officiis adhæserunt, dilectioni quoq; tuæ volumus adhærere: vt quem fidei suæ meritis viuere apud Deum nostrum noui- mus, in te sibi eum præsentem esse agnoscant. Illud quoq; dilectionem tuam nosse volumus, fratrem & coepiscopū nostrū Eusebiū, qui causa fidei multa discrimina, laboresq; tolerauit, nobiscum interim demorari, & in nostra nunc

communionem persistere, cuius ecclesiam tua sollicitudine volumus esse defensam: ut nihil eodem absente depereat, & nullus ei in aliquo præiudicare præsumat, donec cum literarum nostrarum ad vos prosecutione perueniat. Et ut maior circa te vel nostra, vel totius Christianæ plebis affectio prouocetur, hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, in omnium volumus notitiam peruenire: ut qui Deo nostro deseruiunt, de confirmata apud te pace sedis apostolicæ gratulentur. De ceteris vero causis atq; personis dilectio tua literis, quas per nostros accipiet, plenius instruetur. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XLI.

LEONIS PAPÆ I.

AD IULIANVM EPISCOPVM.

Gratulatur eum ex ærumnis pro fidei defensione perpessus euasisse, utque seuerius agat cum his, qui nequeunt clementia resipiscere, monet.

Leo episcopus, Iuliano episcopo.

LITERAS fraternitatis tuæ per filios nostros Constantinopolitanos clericos, nuntias tuæ salutis accepi: quibus te magnis tribulationibus grauatam fuisse significas, cum utique non defuerit materia sollicitudini & laboribus, quæ inter procaces catholicæ fidei aduersarios, in hærentem veritati animum fatigaret, idque (ut scribis) fuerit animo, ut per occasionem necessitatis, & nobis te, & patriæ præsentares. Quod verum futurum speraueram, ut apertius omnium hæreticorum ambages tuo ore cognoscerem. Sed gratias Deo, quod ita incolumitas tua & ecclesiæ causa profecit, ut liberum tibi fuerit apud eos interim degere, quorum nobis probabilis consensus innotuit, sicut & fratris Anatolii scripta profitentur, & gesta, quæ apud ipsum coram nostris sunt confecta, demonstrant fratribus remeantibus. Ergo prædictis salutationibus vicissitudinem reddo, & ut contra falsitatis astutias perseverantem diligentiam teneas, fidenter exhortor, cum tibi ad hoc, & tuus animus, & nostra auctoritas suffragetur.